

DARETIS PHRYGII POETA  
RVM ET HISTORICORVM OMNIVM PRIMI,  
DE BELLO TROIANO LIBRI SEX, LATINO  
carmine à CORNELIO NEPOTE eleganter redditii.

## LIBER PRIMVS.

## HYPOTHESES.

Protinus in Colcho primus liber expedit arma  
Argonautarum, rapiunt qui velleris aurum.  
Et parat Aesonidi redeunti prandia lauta.



LIA DV M lacrymas, concessaq; Per-  
gama fatis,  
Prælia bina ducum, bis adactam cla-  
dibus vrbe m  
In cineres, querimur: flemusq; quod  
Herculis ira, (rit arcem.  
Hesiones raptus, Helenæ fuga fregea.  
Impulerit Phrygios, Danaas excuerit vrbes.  
Ut quid ab antiquo vatum proscripta tumultu  
Veri sacra fides longum sylvestris in ænum?  
An quia spreta lates, mundoq; infensa priori  
Nos etiam nescenda fugis? inecum inclyta, mecum  
Exorere, & vultum ruga leuiore resumens  
Phœbeam dignare tubam, sterilisq; vetustas  
Erubeat, dum culta venis, dum libera frontem  
Exeris, en aureis blandas, en peccus amicum  
Mulces, vulgarem leuius passura cachinnum.  
Si nostris nil dulce nouum, nil vtile visum  
Quod teneri pariunt anni, si secula tantum  
Aurea Saturni memorant, & nulla recentis  
Gratia virtutis: aude tamen ardua, pubes.  
Mento canescant alij, nos mente: capillo,  
Nos animo: facie, nos pectori. Tempora certe  
Virtutem non prima negant, non ultima donant.  
Quumq; duplex ætas varios contendat in usus,  
Hæc viger, illa iacet: hæc pullulat, illa fatiscit.  
Mira quidem dictu, sed vera (aduertite) pandam.  
Nam vati Phrygio Martem certissimus index  
Explicit præfens oculus, quem fabula nescit.  
Hunc ubi combiberit auidæ spes ardua mentis,  
Quos superos in vota vocem: mens (æmula) conscientia veri  
Proscriptis longè ludentem facta poëtam.  
Quin te Cecropij mentita licentia pagi  
Et lædant figmenta pater, quo præside floret  
(Pontia) Tantia, & in priscas respirat liberali leges.  
Felices quos non trahit ambitus, ardua nactus  
Non in se descendit honos, non cæca potestas  
Quid possit fortuna videt: non perfida sentit  
Prosperitas fleuisse humilem, qui ridet in altis.  
Parcite sacrilega superos incensere præda,  
Parcite venales quisquis venatur honores,  
Vnde ruat, tabulata struit. Premit ultio noxas  
Tunc grauior, cum tarda venit: tunc plena timoris,  
Quum terrore caret: blanda nil fœnus ira,  
Quum floret miseri felix iniuria voti.  
At tu dissimilis longe, cui fronte serena  
Sanguinis egregij lucrum, pacemq; litata  
Emptam anima pater ille pius, sumnumq; cacumen  
In curam venisse velit, cui cederet ipse  
Proffus, vel proprias lætus sociaret habenas.  
Hactenus hæc, tuq; (oro) tuo da maxime vati  
Ire iter inceptum, Troiamq; aperire iacentem.  
Te sacræ assument acies, diuinaq; bella.  
Tunc dignum maiore tuba, tunc pectori toto  
Nitar, & immensum mecum spargere per orbem.

Excidium Troie sub Laomedonte videbis,  
Inde statum & formam graphicè depingier vrbis.

Lusserat omnificæ quondam solertia curæ,  
Ignatas molita rates, auriq; cupido  
Audendi transgressa modum, trans æquora misit  
Qui caperent thalamos, spoliarent templam metallis.  
Siccine mortalis finem metitur hiatus?  
Egestæ sic Ditis opes, quas ambitus audax,  
Quas prædo pallens Stygijs extorquet ab antris  
Sufficiunt: cui iam satis est quod regna, quod vrbes,  
Ipsaq; quod pateant rapiendis tartara gazis?  
Itur in ignotos fluctus, vltroq; procellis  
Insultare iuvat, & soli viuere fato.

Æsonides primus vndas assumpit in usus,  
Phrixeam rapturus ouem: cui laudis alumnus  
Alcides socias indulxit in ardua vires.  
His Peleus, Telamonq; duces, his cætera pubes  
Emathiæ, casus pelagi coniurat in omnes.  
Pars (munta) inuita ratem, pars famæ prona petendæ,  
Pars mundum visura nouum, gentesq; remotas.  
Ergo sequi docilis quas nondum nouerat vndas,  
Thetyos in gremium migrat, præpta Diana  
Pinus, & è ramis remos habet, inq; profundum  
Ornatu contenta rudi, plus robore, cultu  
Fisa inminus, paucis exul peregrinat in armis.  
Nondum sœua deos ponto obiectare natantes  
Religio, non fluxa sinutum ure (recruo) secundo  
Carbasa: delicias dat fastiditor usus,  
Exornatq; suum nouitas operosa periculum.  
Prima inopem pinus cultum, quo stabat in Hemo.  
Detulit in fures, autor ratis Argus & Argo  
Nauis erat, sed vterq; rudis: nil illa superbè.  
Non auro superos læsit, non rupibus aurum.  
Stat dubius nouus hospes aqua, redditumq; fugamq;  
Ludentis pelagi miratur, & æquora visu  
Metitur, patriæq; piuum consultat amorem,  
Virtuti nutu facilis cessurus, & vndis.  
Sed rapit aura ratem, quonam, quo naufragia tendis?  
Quo populos in fata trahis: tene angue vel armis  
Patrandum fastidit opus: scio tædia tollis,  
Delicias lethi quæris, nunc vtere faxo  
Terra potens, atq; iniectæ Symplegadis iætu.  
Nulla prius (cecidisse) consumpta refer, ferat ipsa cruentu  
Quod peperit fatum, primaq; superbiat ira.  
Fata obstant, hominum prædatrix Atropos arcet.  
Plus superi quam fata queunt, trabs Thessala diuos  
Præsentes quos fecit habet, contemptus in antris  
Hippotades, in aquis Triton, in carcere Corus.  
Hac rate præpta summos senuisset in annos.  
Quippe deum genitore metu mens cæca creavit  
Ditem umbris, cælo superos, & nimina ponto.  
Vix pelagi sensere minas, iamq; Æole clamant,  
Æole, tuq; dato mulces qui cœrula sceptro  
Vndarum Neptune potens date numen ituris.  
Si reduces meritis nomen sacrabitur aris.  
Mox ierant in vota dei, gaudentq; (vocari) vocati.  
Hic faciles proclinat aquas, hic euocat antro

Qui